

Oppidani repentino erumpentes impetu, totius sacrificij pompam apparatusque sustulere: Quo animaduerso ab aruspibus responsum fuit: vt omnes Deorum minæ, quæ in extis apparuerant, ad eos transirent, quæ illa rapuissent, atque ita contigit. Mors huic quoque Principi præ-nunciata. Sub extremum tempus, tabula in quo nomen eius inscripta fuerat, de cælo tacta, & prima nominis litera deiecta est. Hinc responsum, centum eum dies non amplius victurum, qui per conuulsam significarentur literam, se vero inter Deos referendum, quod reliquum percussi nominis indicaret, quoniam AESAR DEVS diceretur Tuscorum lingua. Ex quo simul atque aliis multis similibus elicio, linguarum mutationē, apud gentes plurimas, de quo à me sæpè quæsitum memini, sed non illud præsentis negocij est.

ALIUD.

Tiberius autem cum Draconē, quem ferum mansuefactum, & altore suo mitiorem, propria manu pascere consueuerat, formicæ deuorassent: responsum habuit: Impetum multitudinis prouideret: Sed vtinam nihil vnquam verius aru-

B. iij.